RosDok Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Severus Sanctus Endelechius David Richter

Severi Sancti Endelechii Carmen Bucolicum De Mortibus Boum, Ex Sacrae Bibliothecae Sanctorum Patrum ... Tomo Octavo Per Margarinum De La Binge, ...

Edit. Secunda Paris Anno 1589. Recusum / Novam Praefationem De Autore, Editionibus, Et Argumento Huius Carminis Praemisit M. David Richter, Gustroviens. Gymn. In Patria Rect., Hamburgi: Lipsiae: Gustroviae: Sumptibus Willichianis: Fritzius, [1747]

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812/phys_0001

MK-9453-(1.)

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812/phys_0002

S. 78. 46

SEVERI SANCTI ENDELECHII
CARMEN BUCOLICUM
DE
MORTIBUS BOUM,
EX
SACRÆ BIBLIOTHÆCÆ SANCTORUM PATRUM
SEU
SCRIPTORUM ECCLESIASTICORUM DIVITE CHRISTIANORUM POEMATUM GAZA INSTRUCTISSIMO ET LOCUPLETISSIMO
TOMO OCTAVO
PER
MARGARINUM De La BIGNE,
EX ALMA SORBONÆ SCHOLA THEOLOGUM DOCTOREM PARIS.

Ex Bibliotheca Academiae Rostochiensis

EDIT. SECUNDA
PARIS. ANNO 1589.
RECUSUM.
NOVAM PRÆFATIONEM DE AUTORE, EDITIONIBUS, ET ARGUMENTO HUJUS CARMINIS
PRÆMISIT
M. DAVID RICHTER, GUSTROVIENS.
GYMN. IN PATRIA RECT.

HAMBURGI & LIPSIÆ,
Sumptibus WILLICHIANIS.

1747

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812/phys_0003

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812/phys_0004

Verbi Divini ejusqve Miniſtrorum aſſiduæ ſunt, etiamnumqve vigent ad pœnitentiam ſerio agendam, adhortationes. Præſentiſſimum quoqve ad eandem eſt incitamentum juſtiſſima offenſi Numinis ira, ex lue illa pecuaria quam maxime conſpicua, quæ & noſtram ita afflixit concuſſitqve patriam, ut furens illa & multiplex armentorum ſtrages, ruinæ ſimilis videatur. Agricolas enim, etiam opulentiſſimos non ſolum ad incitas fere & præter opinionem redegit, ſed Patriam quoque univerſam ita exhauſit, ut ſinguli quoque non de fame ſolum, & eſculentorum inopia, ſed de futura etiam ſtercoratione timere excruciarique cœperint Orba enim ſuis jugalibus bovilia, lactis ſubtracta copia, & ciborum ex lacte conficiendorum ſumma penuria, quem non anxium redderet ſollicitumque Patremfamilias? Ferreus profecto eſſet, quem tanta abſumtorum taurorum corpora, atque multitudo, quæ noſtrum in agris colendis laborem ſolari ſolebant, comitesq; rei noſtræ familiari data erant, non tangeret nec moveret, præſertim quia morborum varietas & repentina ſævitia nullo medicamine frangi potuit. Utriq; ergo huic cauſæ per noſtri temporis, ipſiusque muneris conditionem ita ſatisfacere ſtuduimus, ut, quoniam in prælectionibus Theologicis, B. Fechtii, Hoſpitis & Præceptoris de me optime meriti, Compendium Theologiæ explicantibus, modo ejusdem Caput 26 ſive penultimum

de *Pœnitentia & Fide* docueram; cum eodem ego conjunxerim in Institutionibus & Exercitiis Oratoriis, præter *LIBANII Laudationem Bovis*, metro adstringendam: *SEVERI* quoque *SANCTI*, id est, *ENDELEICHII* Carmen Bucolicum *de Mortibus Boum*, in versus Germanicos transfundendum. Utrumque autem, quamvis non pari obscuritate multis ignotum sit, operæ me tamen meæ tulisse pretium judicavero, si certiora & pleniora de iisdem retulero. *LIBANII* Sophistæ opera per typographum Regium *FEDERICUM MORELLUM* Parisiis A. 1606. in fol. fuisse edita, nobisque inter exempla Progymnasmatum fol. 94. *Bovis Laudationem* exhibuisse, Doctis & Hellenophilis ignotum esse nequit. Mirabuntur autem, hanc ipsam Libanii Laudationem, in gratiam Bovis institutam, effugere potuisse summam in laudationibus variis, hujus præsertim generis, colligendis, industriam *CASPARIS DORNAVII*, Philosophi & Medici. Hujus enim *Amphitheatrum Sapientiæ Socraticæ Jocoseriæ* etsi 2 Tomis fuit instructum, nec semper jocoseria sed sæpe etiam utilia & seria exhibeat, v.g. Equum, Vitam Rusticam, & solitariam, Senectutem &c. Bovis tamen nullam fuisse habitam rationem, ipsa quemlibet docebit libri evolutio. Facit ejusdem Amphitheatri mentionem *B. MORHOFIUS* in *Polyhist. Liter.* I. 21. § 45. p. m. 268. Tomo I. asserens recte, librum Hanoviæ 1619. fol. editum esse. Quæ enim Francof. ad Mœnum A. 1670. titulum mentitur editio, vel ex sola Tomi posterioris Rubra, vel potius Nigra epigraphe, fraudis redargui potest. *SEVERUS* autem *SANCTUS* is est, qui pauciorum ad notitiam pervenit. Summus profecto in hac arte Magister, *OLAUS* nempe *BORRICHIUS*, in suis dissertatt. de *Poëtis Latinis* Anno 1683. a se iterum editis, dissertatione 2da N. 55. & 56 pag. 74. nostrum inter Christianos omisit Poëtam.

An

An itaque *M. MICH. FILITZIUS*, Gubenenſis, in ſuo *Specimine Analectorum ad Eruditiſſimi viri OLAI BORRICHII diſſertationes de Poëtis*, quod Lipſiæ A. 1696. publicæ disp. inſtar, publicatum fuit, de noſtro Severo Sancto retulerit, illi noverint, qui hoc Schediaſma perlegerunt. Vicem forſan Filitzianam ſupplere interim poteſt clar. Dn. *ESCHENBACHIUS* in diſſert. *de Poëtis Chriſtianis*. Etſi enim Sectione, 1. p. m. 75-89. in ejusd. *Diſſertat. Academicis*, exhibuerit Poëtas Chriſtianos Sacros, eosque Græcos §§ 19, in Sect. II. tamen §§ 53. a p. 89. ad p. 132. recenſuit Poët. Chriſt. eosque Latinos ad Sec. XV. uſque finem. Noſtrum vero Severum poſt § 7. inſerendum, aut ejusdem effugiſſe notitiam, aut neſcio quibus ex cauſis omiſſum fuiſſe, quilibet deprehendet, licet Bigneanam Patrum Bibliothecam ſedulo evolverit Cel. Eſchenbachius. Neque etiam ante hos Duumviros *GEORGIO FABRICIO* notus fuiſſe *Endelechius* videtur, quia inter *Poëtarum veterum Eccleſiaſticorum opera Chriſtiana* Baſil. 1562. in 4. edita, nullus *SEVERO SANCTO* locus fuit relictus, ceu videbimus ex hujus collectionis accurata recenſione in *FABRICII Bibliothecæ Lat.* Vol. 1. L. 4. cap. 2. p. 697. ſeqq. quocum *Vol. tertium* pag. 201. conferendum. Quam vero *B. ITTIGIUS* de *Bibliothecis Patrum* p. 23 refert, collectionem Fabricianam, a priori eſt diverſa, & fere propius accedit ad ejusd. *G. FABRICII* antiquæ *Scholæ Chriſtianæ puerilis Libros duos* Baſileæ per Oporinum A. 1565. in 8. *menſe Julio abſolutos*. Nullus autem in hac Schola comparet Endelechius, quæ præterea peritis præceptoribus nullo modo placere poteſt, quia ſuorum locorum Communium: v. g. De Deo, Chriſto, Spiritu. S. Angelis, Tabula Decalogi utraque &c. potiorem habuit rationem, quam ipſorum Poëtarum Chriſtianorum, ita miſere nunc dilaceratorum, ut non membratim, ſed fruſtulatim ſaltem

disperſi appareant. Sic *GUILIELMUS* quoque *CAVE* in ſua *Scriptor. Eccleſ. Hiſt. Liter.* Seculo Ariano fol. 242. parcus admodum fuit in mentione, hujus Severi ergo inſtituenda. Hæc enim habet: *Paulini σύγχρονος (utpote tujus, tanquam amici ſui meminit Epiſt. 9. ad Severum) erat* Sanctus Severus Endelechius, *religione Chriſtianus, arte Orator & Poëta. Hujus breve carmen de mortibus boum edidit Petr. Pithœus in Epigrammatum veterum Cinno. Verum cum nihil, quod ſciam, ſcripſit Eccleſiaſtici commatis, peculiarem ei inter Scriptores noſtros locum non tribuimus.* Iſta autem ratio *AUBERTUM MIRAEUM* olim non deterruit, quo minus Severo Sancto in ſuo *Auctario de Scriptor. Eccleſiaſticis* locum dediſſet, ita proinde de eodem N. 43. refert: *Severus Endelechius, prænomine Sanctus, ſcripſit carmen Bucolicum, ſive de Mortibus Boum, quod tomo 5. Bibliothecæ Patrum extat. Vixit autem paulo poſt tempora Conſtantini Magni, cum religio Chriſtiana toto orbe eſſet recepta, ſed reliquiæ gentilitatis adhuc ſupereſſent. POSSEVINUS hunc Poëtam inter Scriptores Eccleſiaſticos numerandum cenſuit, propter ea, quæ in hoc ſuo carmine de uſu & efficacia Signi crucis ſcribit ſub finem.* Liceat nobis pauca quæ lucem dictis videntur affundere poſſe, heic ſubtexere. Illud enim non anxii curabimus, utrum ex Severi Sancti nominibns ſit ejusdem prænomen aut cognomen, quia prænomen ſæpe poſtponi, comprobavit *FRANC. STLVIUS Progymnaſm. Cent.* 2da c. 41. teſte *VOSSIO* de *Hiſt. Lat.* 11. 12. p. m. 209. ubi de Severo Sulpitio facit mentionem. Ex Paulini etiam ad hunc Severum, quem nunquam *Sulpitium* appellavit, Epiſtolis, ſatis clare idem apparet. *SIRMONDUS* etiam in ſuis ad *Sidonium Apollinarem notis* p. 254. ſq. docuit, quod illa quidem ætate non contenti fuerint prænomine, nomine & cognomine, ſed quartum quoque adſciverint, quintumq. Vid. *FABRICII Biblioth. Latin.* vol. 1. p. 634. nota(e)

Pleni-

Pleniori ergo nomine scribitur *SEVERUS SANCTUS ENDELECHIUS.* Sed mendum observamus in Miræo, in numero 5. latens, quia Severi Sancti carmen in nulla Bibliothecæ Patrum editione, ejusq; Tomo 5. sed octavo, reperitur, teste B. *ITTIGIO* in Tract. *de Bibliothecis & Catenis Patrum*, quem familiari sibi industria consignatum Lipsiæ A. 1707. evulgavit. Forsan etiam ætas Severo Sancto tributa recentior erit, quam inclinare propius ad finem sec. IVti, *PONTII EUTROPII* (quem alii *Meropium*, vel *Neropium* nominare avent) *PAULINI, Episcopi Nolani* Epistola *ad Sanctum Fratrem & Unanimum commilitonem Severum* (Sulpitium intelligit) nos edocebit. His enim verbis in calce Epist. 1. lib. 11. f. m. 122. in *Monumentis orthodoxograph.* Joh. Jac. *GRYNÆI* A. 1569. Basil. edit. Sanctus Paulinus, sui in Theodosium Panegyrici, facit mentionem: *Alius libellus ex his est, quos ad benedictum, id est, Christianum virum, amicum meum ENDELECHIUM, scripsisse videor, non tamen edidisse convincar. Is enim mihi autor, hujus in Domino opusculi fuit, sicut ipsius Epistola, quæ libello meo pro themate præscribitur, docet. Fateor autem idcirco me libenter, hunc ab amico laborem recepisse, ut in Theodosio, non tam Imperatorem, quam Christi servum: non dominandi superbia, sed humilitate famulandi potentem, nec regno sed fide principem, prædicarem. Vale.* Hæc autem Epistola est inter Epistolas Paulinianas ordine *Nona.* Quin Panegyricum suum intelligat Paulinus, nemo ambigit unus. Palam vero est, Theodosium M. sive seniorem, suam de Eugenio & Arbogaste, tyrannis, victoriam reportasse A. C. 394, eumq; altero post anno, nempe A. 395. d. 17 Jan. diem suum obiisse. Cum igitur indignis modis optimum Imperatorem traducerent Ethnici Scriptores, Endelechius, vir Paulino intima amicitia conjunctissimus, autor eidem fuit, ut pro sua ingenii ubertate & præstantia, Theodosium ab injustis horum criminatio-

minationibus, defenderet, eumq; ex merito suo ornandum susciperet, prouti hæc egregie observat ipse *MIRÆUS* ad *GENNADII* libr. *de viris Illustribus cap. 48.* in ejusdem *Bibliotheca Ecclesiastica* fol. 23. edit. Fabricianæ. Erat enim Paulinus, teste *TRITHEMIO* de *Script. Eccles.* n. 117. f. m. 39. *Vir in secularibus literis nulli suo tempore secundus, non minus Sanctitate quam eruditione clarus.* Ex præmissa interim his Paulini Epistolis vita, in Orthodoxographorum editione a nobis indicata, quæ reperitur, a Georgio Fabricio scripta, intelligemus, quod Nolanus hic Episcopus *venerit ad grandem Senectutem*, mortuusq; fuerit imperante Marciano, circa A. 458. Hoc vero quamvis justo liberalius assertum videtur, præsertim si *GUIL. CAVE* autoritatem sequi placuerit, illi dijudicabunt, qui *CENTURIA T. MAGDEB.* Centur. 5. fol. 1288 rite consuluerunt. Periit equidem hic Paulini Panegyricus; *HIERONYMO* tamen, a Paulino transmissus, ita se commendavit, ut summis eundem laudibus, cum Paulini eloquentia, extulerit. Vide enim hunc sacri nominis Patrem in Epistola 12 Tomo 1. Opp. fol. 104. edit Basil. 1553. quam Caveus, lib. cit. f. 226. *nitidam plane & accuratam Editionem* vocavit. Ipse quoque *AUGUSTINUS*, qui sua nominis claritate, meritorumq; gloria eximia, omnium latinæ Ecclesiæ Patrum lucem obscurasse videtur, Epist. 32. ad Paulinum dicit, testibus Centuriatoribus Magdeburgicis Cent. 5. cap. 10. fol. 1287. *literas ejus fluere lacte & melle.* Imo vero eundem Augustino amicissimum fuisse ex *BARONIO* ad A. 395. N. 35 sqq. observat *ESCHENBACHIUS de Poëtis Christianis* Sect. 2. § 11. p. m. 101. Fingamus interea, Severum Sanctum hisce Hieronymi & Augustini laudibus non fuisse superstitem, ætatem ejus tamen ad finem Seculi quarti, aut initia quinti pertinere, in propatulo erit. Ex recentioribus, præter *KOENIGIUM* in *Biblioth. Vet. & Nova*, paucio-

pauciores erunt, qui Endelechium curaſſent. Ita vero ille fol. 272, col. b. *ENDELECHIUS (ſic mavult ſcribere Reineſius, cum aliis Endeleichus dicatur) Rhetor & Poeta Chriſtianus, Paulino æqualis, & familiaris fuit. Paulinus autem A. 394. floruit. vid. Reineſius ad Daum p. 23. Carmen de Mortibus Boum compoſuit. Eſt autem carmen Bucolicum, & continet querimoniam hominis gentilis, de peſtilentia, tota armenta tollente: & conſilium hominis Chriſtiani, de adgnoſcendo Chriſto, cujus crux & hominibus medeatur, & mutis animantibus. Alii Severo Rhetori tribuunt.* Hæc qvi ſeria æſtimatione perpendit, immitius juſto de hac Btheca, tanto certe, unius viri, & Herculeo fere, labore, b. MORHOFIUM, SCHURZFLEISCHIUM, MOLLERUM Flensburgenſem, aliosqve ab FABRICIO in *Hiſt. Bthecæ ſuæ* Part. 3. p. 108. ſqq. productos, judicaſſe fatebitur. MEMOIRES *des hommes illuſtres* Tom. 12. p. 87. enim, ſua Joh. Fabricio debent, quæ de hac Kœnigii opera retulerunt. Recte autem obſervat b. Kœnigius 1) Endelechium varie ſcribi. CASP. BARTHIO enim Adverſarior. XIV. c. 19. fol. 2027. *Endeleichius:* & mox XLVI. fol. 2157. *Severus Enteleichius:* & iterum in Animadverſ. ad Claudian. de Statu Animar. Libr. I. c. 2. p. m. 261. *Severus Entelechius Rhetor*, vocatur. Neque præterea fruſtra obſervat 2) ab aliis Severo Rhetori hoc carmen tribui, licet talem, præter hunc noſtrum, nemo indicaverit, minimeqve negavero, Sanctos fuiſſe quam plurimos. *Nam cum plures ſint*, inquiunt meritiſſimi Actor. Erud. Collectores, An. 1716. p. 82. *SANCTI nomine clari, inter ſe diverſos Reineſius diſtinguit, cumqve Sidonius cujusdam mentionem injecerit, alterius Paulinus & iterum Auſonius, ita hunc quidem Auſonianum Patrem, illum Paulinianum filium, & iſtum Sidonianum, qui noſter Endelechius eſt, & ad A. C. 519. refertur, nepotem facit, omnes autem Aquitanos.* Hoc vero de altero

 mini-

minimum *Severi*, vel *Sancti* nomine intelligo, non de utroqve & integro nomine: *Severo Sancto*, vel *Endelechio*, quem mira quadam consensione omnes fere Bthecarum Patrum Editores, ad initia quinti seculi retulerunt. Qui enim fieri potuisset, ut Sidonianus SANCTUS, qui noster venditatur Endelechius ad A. C. 519. referatur, cum ipse SIDONIUS APOLLINARIS jam ante 30 vel 40 annos ad beatas Sedes transiisset, teste CAVEO. Ex vulgari enim fama istum A. 482. diem suum obiisse scribit. Quia vero ipse APOLLINARIS lib. 9. Epist. 12. se in Episcopatu Arvernis, ad quem invitus A. 472 raptus fuerat, tres Olympiades excurrisse, diserte affirmat, facile intellectu erit, eum post A. 487. mortuum fuisse, nec virorum, qui A. 519. floruissent, mentionem injicere potuisse. Sic etiam Ausonianus SANCTUS a Pauliniano justo longiori temporis spatio disjunctus videtur. Supponamus enim, ex *TRITHEMIO, de Script. Eccles.* N. 114. fol. 34. Ausonium A. C. 410. non floruisse sed nonagenarium, vel nonagenario superiorem, vita demum sua defunctum fuisse, facile sic probabimus, eum A. 320. natum esse & 59 vel 60 annorum fuisse, cum per Gratianum, cui a Valentiniano Patre Præceptor erat datus, Consul Romæ præficeretur. Nam in præfat. ad Syagrium confitetur AUSONIUS, se exactis *trinis decenniis* Grammaticam Burdigalæ docuisse. Hoc itaqve A. 350. factum fuisse oportet, cum tertio anno post Paulinus ex Cavei supputatione, natus fuit, qui, si decimo, vel provectiori ætatis Anno, Ausonio traditus fuisset formandus, ex eodem non qvidem Grammaticam, ast certo tamen Rhetoricam, discere potuit. Consulatum vero Romanum ante annum 380 vel 379 ingressus haud fuit, quia in sua ad Gratianum *Gratiar. Act.* c. 8. Imperatoris bonitatem prædicat, quod illum *matura jam ætate subcinctum per omnes honorum gradus festi-*

festinata bonitate provexerit, seqve jam *consulem & senem* fateatur: & cap. 24. in fin. Hoc *Senectuti suæ datum* asserat. Neqve est quod cum *Petro* CRINITO *de Poetis Lat.* lib. 5. c. 87 putes, nos *in magno errore decipi, cum ad ipsius parentem pertineat, quod nonagenarius dicatur mortuus.* Vivacitatem enim Ausoniis familiarem fuisse, noster, quem secuti sumus, comprobabit computus annorumqve series. Accedit ipsius BELLARMINI & PETRI BAYLII autoritas, qvorum ille de Script. Eccles. ad A. C. 420. *Paulinum facit æqvalem Ausonii, vel potius aliqvanto juniorem:* hic vero in suo Diction. voce *Ausonius*, nota c. ex Baronio probat: Ausonium A. 394 demum Paulino anachoreticam vitæ rationem, qvam modo ingressus fuerat, exprobrasse, *d'ou il s' ensuit*, dit-il, *qu' il vécut long tems; car, il etoit deja vieux, lors qu'il fut fait Consul l'ann. 379.* in Gratiar. Action. p. 709. *Joignez à cela, que la difference d'age entre lui & son pere etoit fait petite.* Auson Epist. 1. *or, il survequit a son pere, qui morut a l' age de qvatre vint dix ans.* Pari ratione de Paulino vellem dixisset *SCALIGER* in fin. *Ausonianar. Lection.* Eum non *multum;* sed *parum* potius, infra eundem Ausonium esse ponendum, qvia ex BELLARMINI & ex CAVEI sententia Paulinus A. 431. ætatis 78. decesit, licet G. FABRICIUS, jam supra a nobis p. 8. excitatus, emortualem faciat A. 458. & Paulino *grandiorem Senectutem* tribuerit, si modo alium qvendam Paulinum, Burdigalensis succesorem, non confudit cum Nostro Nolano. Consulatum vero Ausonii, cujus ipse in *Epigrammatibus qvatuor* meminit, qvibus *Fastorum a se digestorum* mentionem facit, in Annum 379 incidisse, CAROLUS qvoqve SIGONIUS de Occid. Imperio Lib. 8. f. m. 182. & MIRÆUS in Auctar. de S. E. N. 36. f. 7. egregie confirmant. Haud itaqve video, qvi *cuncta incerta sint & ex conjectura dicta* nisi in scirpo nodum

qværere placet. Ipſimet enim 1) Act. Erud. 1716. p. 81. Interpreti, *verum nomen ac ætas* Endelechio, cujus ſupra, Paulinus ad Sulpitium fecerat mentionem, a Jac. Sirmondo *reſtituta videtur*, provocante quoqve ad Codicem quendam Apuleji MSTtum, Bthecæ Vaticanæ, in quo Crispus aliquis Sallustius teſtatur, ſe *controverſiam declamaſſe Oratori Endelechio.* Hoc ergo Salluſtianum teſtimonium, quia a variis varie exhibitum animadverti, ex Elmenhorstii Apulejo, quia in paucis modo mutatum eſſe, Meritiſſimi Act. Erud. Autores affirmant, integrum proferre licet. Ita enim ſe habet: *Apulei Platonici Madaurenſis opera. Ego Criſpus Salluſtius legi & emendavi Romæ Felix* (neutrum, pro adverbio: *feliciter.*) *Olibrio & Probino, V. C. Coss. in foro Martis Controverſiam declamitans Oratori Endelechio. Rurſusqve Conſtantinopoli recognovi, Cæſario & Attico Coss. Sic*, ſubjungit & teſtatur Elmenhorſtius in fine Apuleji a ſe editi, *miniatis literis Membranæ Florentinæ.* Conſule b. Calvisii *Opus Chronolog.* ad A. C. 395. doceberis, Sex. Anicium Hermog. Olibrium & Sex. Anicium Probinum, tunc fuiſſe Conſules; Fl. Cæſarium vero & Pontium Atticum Coss. ad A. 397. pertinere. Confer etiam Giſelini Chronologiam, Sulpicii Hiſt. Sacr. plerumqve ſubjectam. Prior vero annus, 395. is ille ipſe eſt, quo Theodoſius Imper. moritur & Paulini amicus, Endelechius, autor Eidem fuit ſcribendi ſuum Panegyricum, de quo ſupra p. 7. diximus. Imo Trifolium illud *Sanctorum*, & his majores, illi Duumviri, Auſonius & Paulinus, huic, pluribusqve inſequentibus, fuere ſuperſtites, annis, quorum ille tunc 75. hic, 42. annos natus erat. Accedit inſuper 2) quod perſpicaciſſimus Act. Erud. Socius, haud vane affirmaverit, *verum armenti peſtiferum morbum*, Alarico, A. 409. Italiam ingreſſo, pecus proſtraviſſe, qui annus itidem cum Auſonii atqve

qve Paulini ætatibus, mirifice, etiam nunc, consentit. Haud enim levis ista, sed longe sæviſſima pestilentia fuit, quæ tunc Italiam omnem vastavit, qvam, cum a Cel. Outhovio prætermiſſam vidi, paucioribus hic delineare juvabit ex Sigonio. Hic ergo Romæ obsidionem ab Alarico susceptam verbis exprimit seqventibus, *de Occident. Imperio* Libr. 10. p. m. 254. *Ingens fames civitatem oppreſſit, ac mox famem sæva pestilentia excepit, & cum passim omnia cadaveribus complerentur, quod extra urbem sepeliri de more non poterant, lues ipsa, dira odoris fœditate vulgata est. Hæc autem pestilentia non Romam solum, sed totam etiam videtur afflictasse Italiam, nimirum ab hac colluvie barbarorum invecta. Siqvidem scribit Rufinus ad Chromatium, tum Aqvilejensem Episcopum, perruptis ab Alarico Duce Gothorum Italiæ claustris, morbum se pestiferum infudisse, & agros, armenta, viros longe lateqve vastasse.* Qvando etiam Augustinus de C. D. I. 10. p. m. 35. scribit, quod tunc temporis Barbari & ipsam Nolam vastaverint, hæc Leonh. Coqveius in suo Commentario ad d. l. subjungit: *Hoc factum est, cum Alaricus ab Urbe recedens, Campaniam, Bucaniam Brutiosqve pervasit, & Nolam ipsam Campaniæ invaserunt, ceperunt atqve vastaverunt.* Confer. etiam Kranzius in suis Aqvilonarium Regnor. Chronicis, Lib. II. cap. 31. Qvid? qvod Ambrosium qvoqve hujus pestilentiæ commeminisse, testetur Fabricius. B. L. Vol. 3. p. 276. Illos proinde humanisime oro atqve obsecro, qvibus & facultas est & libraria, Bibliothecæ locupletioris suppellex atqve apparatus instructior, ut periculum faciant, nam Lud. Elias Du Pin in suo Tome 3. des Auteurs du 5. Siecle, I. Partie, *des Auteurs qvi ont fleuri au commencement du 5. Siecle*, cujus binas habemus editiones, aut, utrum Sebast. le Nain de Tillemont in suis Memoriis Hist. Eccles. 6. priorum seculorum, Tome 10, Qvi con-

 cient

tient les vies de S. Ambroiſe, Sant Martin, S. Epiphane, & *divers autres Saints, morts a la fin du qvatrieme ſiecle & au commencement du cinqvieme*, his uberiora & noſtris meliora (de quibus dubitare nefas eſſet) attulerint? Apparatus enim NOURRIANI paulo poſt faciemus mentionem. Gerh. Jo. VOSSIUS, cujus certe vel ſolum nomen eſt Panegyricus, de *Poetis Latin.* cum & *ENDELECHIUM* Rhetora, ſive *Severum Sanctum, Hieronymo facit majorem*, eundemqve Poetam Chriſtianum Biblioth. Pp. Tom. 8vo inſertum aſſerit, Poſſevinumqve reprehendit, ſcribentem, *Severinum Rectorem de moribus* boum, ceciniſſe, totus profecto noſtram potius confirmat, qvam infringit, ſententiam. Neqve etiam 3) video, qvi *WEITZIUS negare potuerit*, hanc *de Mortibus boum jure inſcribi Eclogam?* qvia addita vox: *Carmen bucolicum* mitigat omnia. Concedamus etiam Voſſio lib. 3. cap. 8. §. 1 & 10. p. m. 32. *Inſtitutt. Poëticar.* qvod Scriptores bucolici carminis, *ſolo hexametri metro* uſi fuerint. Qvod enim hoc non de omni, & ſimpliciter ſic dicto bucolico intellexerit, vel ex Ejusdem Varronis Lib. 3. cap. 12. §. 1. apparebit, confitentis, *omni* qvidem *carmini commune eſſe, ut ratione dimenſionis harmonicæ* μελῳδον *ſive membratim dividatur;* Pindarum tamen ſua carmina vocaſſe ἴδη, *qvia ſua natura magis pateant* ἴδη, ᾠδή, *carmen.* Doctrinæ explicationisqve cauſa ſtatim hæc ſubjungit: *Ejus diminutivum eſt* ᾠδύλλιον, *qvaſi formulam, hoc eſt, poematium dicas. Qvomodo* NB. *bucolica ſua inſcripſit THEOCRITUS: poematia qvædam AUSONIUS. Par ratio eſt in Græco* ᾠδή, *& latino:* carmen. *Vulgo Horatii libros* Odarum *nuncupant. Ipſe non* odarum *inſcripſit; ſed* carminum *libros. Ubi ſatis liqvet*, carmen *ſtricte ſumi.* Ab hac ſententia nec ipſe SERVIUS qvidem eſt alienus, qvem vide ad Virgil. Eclog. 3. 7. & 9. Simili ratione 4) multo leviſſimum eſt b. REINESII aliorum-

rumqve judicium, dum carmini huic titulum de Mortibus boum, *ab insulso Grammaticastro* præfixum esse arbitrantur. Qvi enim Reinesium fugere poterat, Mortis vocabulum, etiam in plurali, haud insolens esse tum Poetis, tum Historicis, ipsisqve etiam Oratoribus, optimæ cujusvis ætatis, qvorum loca longa serie coacervaverat pridem Magnus *VOSSIUS*, in de *Arte Grammatica*, Libro 3. qvi primus est de *Analogia* cap. 40. p. m. 178. Accedit præterea, qvod SEVERUS noster SANCTUS non unius generis boum, vel, de solorum taurorum mortibus variis, multipliciqve strage cecinerit, sed gravidarum qvoqve vaccarum, qvas infausta fœcunditas ad abortum præcipitaverat, duplicem mortem atqve interitum exprimere studuerit. Dum enim v. 62 vidit, *animas duas uno in corpore perditas*, *AUSONIUM*, ad cujus ætatem referendus erit, imitatus præ cæteris fuit. Hic enim Epigrammate 3 & 6. de gravidæ leænæ ab Imperatore Gratiano cæsæ interitu, tibias suas inflaturus, *grandes parvo sub vulnere mortes*, &: per *unam sagittam mox duas mortes* effatus est. Produxerat eqvidem ante Vossium, BANGIUS in Libro I. *Observatt. Philolog.* aliqvot Classicorum Autorum loca, vocem: *mortes*, inpluralitatis numero efferentium; sed ditiori fœnore eadem cumulata reddidit Vossius l. c. ita, ut propitio jure hanc suæ observationi imponere valuerit coronidem: *Hæc* tam multa, *pene ex omni Scriptorum genere, adferenda duxi, ut tandem eos ineptiarum pudeat, qvi seculo hoc non aliud norunt, qvam antecedentium errores suis illinere libellis.* Nos vero, eum præcipue in finem hæc adduximus, ut qvilibet vel ex hoc solo intelligat, Magnum Vossium sæpius qvidem Bangium feciſſe suum, sed non semper eundem transscripsisse, nec ubiqve turpisimi plagii reum esse cujus tamen sæpius accusatur. Sed nec hoc indictum volo, quod in pleniori editi-

editione libror. 7. de *arte Gramm.* qvibus *Aristarchi* titulum præfixit, qviqve Amstel. 1662. prodiere, hæc procul dubio locupletiora fuerint exhibita. Confer. interim *CRENIUS* de Furibus Librariis, differt. I. & *MEMORIAS* Gallicas sæpe a nobis adhibitas Tom. 13. p. 106. ut plures alios taceam.

Transeamus nunc ad Carminis nostri Editiones, qvarum primam Cel. Outhovius, aliiqve, Eliæ Vineto, Santoni illi & Celeberrimo apud Burdigalenses Rectori, adscribunt, affirmantes, eandem A. 1589. ex typographia Dionysii Duvallii prodiisse. Sed oppido falluntur, qvia hoc carmen nostrum jam ante triennium inter *Veterum aliqvot Galliæ Theologorum scripta*, Paris. 1586. in 4. edita jam receperat *PETRUS PITHOEUS*, eiqve ultimum attribuerat locum, testibus B. Ittigio in Tract. sæpius laudato, de *Biblioth. & Caten Patr.* cap. 3. §. 29. p. 416. & *CAVEO*, supra ad p. 8. a nobis advocato. Accedit qvod *ELIAS VINETUS*, Burdigaliæ jam A. 1587. d. 14. Maji ætatis anno 78 mortuus & solenniori funere ibidem elatus fuerat. Vide *MIRÆUM* in *Auctar. de Script. Eccles.* N. 36. f. 7. & ex eodem *BAYLIUM*, in *Diction. Hist. Crit.* voce: *Ausonius*, *atqve MEMOIRES* des *Hommes illustres*, Tomo 30. p. 224. cum Cel. *HEUMANNO* ad *SAMMARTHANI Elogia Gallor.* Lib. 3. n. 26. p. 176. Haud tamen interea negavero, hanc Eliæ Vineto, assiduo veterum Bibliothecarum ruspatori, vindicandam gloriam, qvod hoc carmen, postqvam cum æternis fere XII. seculorum sordibus fuisset luctatum in obscuris abditisqve Bibliothecarum angulis, protraxerit omnium primus, atqve a mucido sqvalore, blattis, tineisqve feliciter defenderit, illudqve *PITHOEO*, amico suo integerrimo, qvi vulgo

vulgo Gallicus habebatur Apollo, ad publicationem commendaverit. Qvantus enim Elias hic VINETUS fuerit, vel ex eo intelligemus, qvod hunc Santonem suum Princeps Criticorum, Jos. SCALIGER, dignum habuerit, cui suos *Ausonianarum Lectionum Libros Duos* A. 1573. inscripserit, his inter alia verbis usus. *Cum certus sim, Te abhinc multis annis commentarios in hunc poetam adornare, qvod esset os meum, post tuam messem vel spicilegium sperare? qvid aliud esset post Te scribere, qvam me in nobilissimo theatro traducere?* Adulatoria autem, & tanto Dictatore, qvantus Scaliger sua ætate haberi volebat, plane indigna hæc fuisse verba, ex Ejusdem Scaligeri apparet epistola, post Vineti obitum scripta. Verba illius exhibet b. FABRICIUS, Bthec. Lat. Vol. 1. p. 589. Illud interim non ingratum nobis fuit didicisse, *CAROLUM PASCHALIUM*, illum Coronis dignissimum Virum, Elogium scripsisse Eliæ Vineti, qvod cum Ejusdem Commentariis in Ausonium Burdigalæ A. 1594. in 4. prodiisse, fidem suam interponunt MEMORIÆ Gallicæ Tom. 17. p. 242. Sic ergo Pithoeus hoc carmen beneficio Vineti debuit, quia huic inventionis, illi vero evulgationis gloria tribuenda erit. Inter Autores etiam, a Vineto editos, atqve a *Memoriis Gallicis* recensitos, cæteraqve Vineti scripta, nullus reperietur Severus Sanctus. Vana proinde etiam conjectura forsan fuerit, qvod inter *Bucolicorum autores recentiores XXXVIII. qvotqvot videlicet a Virgilii ætate ad nostra usqve tempora eo poëmatis genere usi sunt*, noster occurrat Endelechius. Hos enim per Joh. OPORINUM, Typographum apud Basileenses longe meritissimum, jam A. 1546. in 8vo editos fuisse, superstite Elia Vineto, præter CATALOGUM BIBLIOTHECÆ THUANÆ, Part. 2. p. 285, me docuerunt quoqve MEMOIRES, jam aliquoties laudatæ, Tomo 27. p. 281. Conf. *VOSSIUS Instit. Poetic.* Lib. III. cap.

8. §. 17. & sq. Pithœo itaqve hæc laus, qvod A. 1586. primus publici juris fecerit Severi Sancti carmen, tamdiu erit vindicanda, quamdiu antiqvior produci haud poterit editio. Ita præterea omnium oculos lectionemqve in se converterat hoc carmen, ut mox a MARGARINO de la BIGNE dignum fuerit habitum, quod *Tomo octavo* suæ *Sacræ Bibliothecæ Sanctorum Patrum, seu Scriptorum Ecclesiasticorum, Divite Christianorum Poëmatum Gaza instructissimo & locupletissimo*, inseruerit, cujus *Editio secunda Paris.* 1589. prodiit. Ex hac enim Biblioth. Pp. editione nostrum, qvod exhibemus exemplar, fideliter fuit expressum, a fol. 275. ad fol. 279. Qvam præclare autem Bigneus, *ex alma Sorbonæ Schola Theologus Doctor Parisiensis*, de universa antiqvitate Ecclesiastica per hanc opusculorum, a Scriptoribus Ecclesiasticis confectorum, egregiam collectionem, meritus fuit: tam indigna acrioriqve nihilosecius censura fuit exceptus ab Indice Expurgatorio *Johannis Mariæ BRASICHELLANI*, qvi ne ipsorum qvidem Patrum scripta, qvod utiqve mirabimur, intacta omisit. Nullus proinde dubito, qvin & in nostro ENDELEICHIO qvædam invenerit expungenda, si plura Tribus Specimina hujus Indicis rarissimi nobis dare placuisset Clar. Auctori Der Vergnügung müßiger Stunden. Jam vero cum 4. modo priores Bthecæ Bigneanæ Tomos a Brasichellano notatos exhibuerit, facile hariolabimur, cujatis ea fuerit felicitas, ut residuorum Tomorum, nostriqve carminis Censuras nos aliqvando doceat. Illud vero satis clare ex hoc Expurgatorio elucet, valde ridiculum esse, qvando MEMORIÆ Gallicæ Tomo 32. p. 279. sibi suisqve imponunt, aliisqve persvasum cupiunt, hoc Bibliothecam Patrum colligendi laudatissimum institutum, a Bignæo initum fuisse, *ut Centuriatoribus Magdeburgicis se opponeret.* Tantum enim abest, ut

Luthe-

Lutheranis Bignæi opera fuerit ingrata, ut majorem potius a nobis sibi relatam viderit gratiam, qvam ab ipsis Pontificibus, eorumqve Successoribus, qvibus videlicet ita impudenter in dedicationibus fuerat adulatus, ut non illæsa sanctitate, verba ad Christum pertinentia, ad suos Papas impie transtulerit. Neqve post fata Bignæi livor Pontificum qvievit, siqvidem nonsolum *Index Librorum prohibitorum, INNOCENTII XI. P. M. jussu editus usqve ad A. 1681*, ejusqve *Appendix unica usqve ad mensem Junii inclusive 1704*; sed etiam *Appendix novissima ab A. 1704, usqve ad totum mensem Martii* 1716, qvæ omnia Vetero-Pragæ recusa sunt A. 1726. in 8vo, Bibliothecam S. S. Patrum Parisiis editam, & per Margarinum de la Bigne in unum collectam, inter libros prohibitos retulit, hac addita clausula & conditione, *donec expurgetur*. Hanc vero legem & Fechtii & Ittigii & Mayeri scriptis si addere placuisset, ne illa qvidem inter prohibita rejeciſſe, opus fuisset. Posteaqvam vero deinceps sub initium superioris seculi hæc sacra Bibliotheca Sanctorum Patrum per Colonienses Theologos A. 1618. redderetur MAGNA, XIV. vel XV. Tomis constans, qvam post seculi dimidium Lugdunenses A. 1677. in XXVII. Tomos distributam, voluerunt esse MAXIMAM; hoc nostrum Severi Rhetoris carmen semper etiam in illis fuit repetitum. Quod si etiam NICOLAO le NOURRY per fata (qvibus A. 1724. d. 24 Mart. ætatis anno 77. concesit) licuisset, plura duobus sui *Apparatus ad Bibliothecam* hanc *Maximam* volumina absolvere, procul dubio nostrum qvoqve illustraturus fuisset Severum Sanctum. Jam vero cum priori Volumine, Paris. 1703. fol. edito, Scriptores Ecclesiasticos Sec. I. & II. atqve omnia Clementis Alexandrini Opera absolvit, qvod pluribus docebimur in Ittigiano Tract. toties jam laudato cap. 5. §. 2. p. 558. altero

autem Tomo, A. 1715, adeoqve post b. Ittigii mortem publicato, Patres cæteros ad finem usqve seculi IV. complexus fuerit atqve explicaverit, autoribus Memoriis Gallicis, Tom. I. p. 283. haud injuste hinc verendum nobis erit, ut Nourry ad Tomum usqve Sextum suæ Maximæ Biblioth. S. S. Patrum, cujus qvippe prima pars Patres Seculi qvinti & nostrum Severum Sanctum exhibet, fuerit progressus. Solet alioqvin NOURRYUS exactissimam Patrum instituere analysin, qvale qvid antea tentaverat Scultetus in Medulla Patrum; sed varias qvoqve in Eosdem observationes haud triviales adjungere. Piaculum ergo haud committemus si ipsum Memoriar. Gallic. de hoc Apparatu subtexuerimus judicium, his paucioribus lineis constans. *On voit regner dans tout ce ouvrage le gout d'une saine & judicieuse critique. Le P. le Nourry n'y a eclairci, qve ce qvi regardes les ouvrages des Peres de qvatre premiers siecles de l'Egliſe.* Plura interim de Bthecis Pp. cognoscere cupienti, consulenda erit b. *BUDDEI Isag. Hist. Theol.* Libr. Poster. cap. 3. p. 593. qvia præsertim egregie docet, qvomodo utilissimus Ittigii Liber & suppleri & continuari possit. Sed e diverticulo in viam redeamus, nostriqve carminis numeremus editiones, qvas inter *prima* est, eritq; Pithœana A. 1586. edita, qvam utiqve cum Illo Vineti beneficio debemus. *Secundam* vocabimus, qvæ tum a Bignæo, tum ab Aliis, in variis Bthecar. Pp. editionibus toties fuit repetita. *Tertia* itaqve & qvæ seorsim edita fuit, illa est, qvæ ex OUTHOFII fide, prima salutatur, emissa A. 1589. *unde in Secunda Edit. Bthec. Patrum An. 1589. Tom. 8. reperitur.* Hæc si rite se haberent, *qvarta* ex Ejusdem fide esset N. Gillii, cura Pithœi an. 1590. publicata, qvam mox secuta fuisset Candidi, An. 1596. qvæ nobis *qvinta* foret. *Tandem*, verba reddo Excellentissimorum Reipl. Literariæ

riæ Antiſtitum, Act. nempe Erud. A. 1716. p. 81. verba, ad Germanos pervenit, *a JAC. BONGARSIO*, cujus in literas merita egregiis juſtisqve extollit laudibus BERNEGGERUS in præfat. Juſtini a ſe editi, Conf. Bælius in Diction. Hiſt. Crit. voc. Bongars, *ad JOH. WEITZIUM*, Gymn. Gothani Direct. *qvi ſuis luculentioribus & Wolfg. Seberi annotationibus illuſtratum edidit* Francof. 1612. qvæ adeo *SEXTA* eſſet, *a qvo ſeculi majore intervallo ſeparatum non prodiit, usqve dum peſtifero nunc inter bovinum pecus morbo graſſante, hujus ratione habita, lectionem de novo commendavit, præfatione addita, Editor, qvi nomen prodere noluit.* En itaqve Rubrum hujus SEPTIMÆ editionis ex MEMORIIS Gallicis Tom. 2. p. 195. petitum. *Severi Sancti*, id eſt, Endelechii, Rhetoris, de Mor-„ tibus Boum carmen, ab Elia Vineto & Petro Pithœo ſer-„ vatum, cum notis Joh. Weitzii & Wolfgangi Seberi.„ Lugd. Batav. 1715. in 8. Editorem eſſe Summi Nominis Virum, Jac. Gronovium, haud degenerem illum Magni Parentis, Joh. Fred. Gronovii filium, aperte teſtantur Memoriæ l. c. profitentes inſuper, præmiſſam additamqve Ejusdem eſſe præfationem. Sine dubio illas & jam hæc movit cauſa, ut huic iteratæ editioni inter ſcripta Gronoviana locum 44tum dederint. Hanc ἔκδοσιν enarrarunt qvoqve Act. Erud. 1716. p. 80-84. addentia inſuper pro eximia ſua in libris indicandis peritia, hanc apud Cel. illum Bibliopolam Amſtelodam. Petrum van der Aa, cui b. Fabricius ſuum dedicavit Conſpectum Theſauri Literarii Italiæ, Hamb. 1730. in 8. editum, proſtare venalem, plagulasqve 5. implere, ſed in 8. Majori. Plura etiam de variis Severiani hujus carminis editionibus, inde peti poſſe ſubſidia, Plur. Rev. Outhofius fidem ſuam nobis interpoſuit. Indigne itaqve merito tulimus Ejusdem hujus Belgicæ editionis copiam a nobis nec precibus nec pretio impe-

impetrari potuisse. Omnium autem, qvantum nobis qvidem constat, recentissima erit, qvam laudatissimus Outhovius, non qvidem seorsim evulgavit, sed Libro suo *JUDICIA JEHOVÆ ZEBAOTH* exponenti, subjunxit. Non uti Gronoviana, integras, sed selectas modo Weitzii Siberiqve annotationes subjecit, suas tamen haud raro addidit, illarumqve adeo vel compensavit defectum vel novum supplementum esse voluit, licet hoc minus probatum fuerit Doctissimis Bibliothecæ Bremensis Collectoribus, Fascic. I. p. 170 sqq. Recensuerunt qvidem Outhovianum libellum Meritissimi Autores der fortgesetzten Sammlungen Anno 1721. p. 1007. sed ignoti Severi Sancti rationem habuerunt nullam. Haud ita temere tamen illud neglectum fuit neqve in Btheca Bremensi, l. c. neqve ab Act. Erud. Supplemt. Tomo VIII. p. 724. sqq. Hæc ergo Outhofiana, inter Editiones esset Octava. Qvia autem per Optimi Editoris absentiam fœdioribus sphalmatibus ita scatebat, ut sensum non raro sed sæpe impediret, metrum qvoqve ipsum aliqvoties turbaret, hinc ex Bignæana editione, licet parum meliori, hoc carmen recudendum judicavimus, a fol. 275. usqve ad 279. Qvia vero mox Colloqventium nomina post v. 20. omissa vidi, hinc præeunte Outhovio, qvi repetitam secutus videtur Belgicam, illa seqventibus strophis anteponenda duximus. Emendationes autem qvasdam habui necessarias, qvarum rationem reddere me non pigebit.

Buculum i. e. juvencum, facillime transforma repotuissem in *Bucolum*, sive Bubulcum, qvia palam a Græco βυκόλος est. Sed Bignæi aliorumqve Editorum autoritati parcere malui, licet in propatulo sit, *Buculum* diminutivum esse *Boviculi*, vid. Vossius de Arte Gram. II. 15. p. 200. ipsumqve hunc Bubseqvam bis v. 1. &. 126. *buculum* vocitatum

tatum reperies. Dimin. fœmin. *Bucula* extat etiam v. 66. ejusqve ſynonymum v. 62. 63. Temere itaqve hoc non factum credidero, ſed cogitate potius. SERVIO enim docente ad Virgil Eclog. I. *Laconum lingva Tityrus dicitur aries major, qvi gregem anteire conſvevit.* Eodem ergo jure qvo caprarius ingenioſe dicitur *Aries major*, eodem propitio jure Armentarius dicetur *Buculus*, qvia fatente Libanio in Laud. Bovis, *vitulus bubulcis, ut puſio, in amoribus eſt.* Hinc Servius etiam eundem Melibœum dictum autumat, ὅτι μέλει αὐλῶ βοῶν. Ad eundem fere modum SCALIGER, divini Vir ingenii, Lib. I. Poëtic. cap. 12. f. m. 19. b. affirmat, Satyros etiam Tityros dictos fuiſſe. Tityrum autem capellam ſignificaſſe priſcis Æolenſibus. Qvod ſi vero MACROBIUM, Saturnal. I. 8. audiverimus, Satyros παρὰ τὴν σάθην, *qvæ membrum virile denotat, veluti Sathimnos appellatos*, inveniemus, *qvod ſint, in libidinem proni.* Si igitur caprarius a majori ariete vel capella Tityrus dici poteſt, citra cujusvis ſcioli offenſionem, qvidni etiam Princeps Paſtorum Bubſeqva appellaretur buculus?

Neqve v. 8. *tacitum* ſollicitare, illiqve *tacitus* præferre potui, qvia VIRGILIANUM illud Æn. 4. 67. *tacitum* vivit ſub pectore *vulnus* imitatus videtur Severus, qvomodo etiam LIVIUS I. 50. 9. *id tacitum* tuliſſe ſcripſit, qvod Idem 7. 1. 5. fere repetiit. Qvoad rem ipſam vero & ſenſum parum vel nihil diſcriminis intererit, cum altera vox adjectivum, altera participium paſſivum ſit. Verſu 17. retinui ſpem opis penitus *collapſæ*, qvia ſi nominativum ſingul. fœmin. *collapſa* reddidiſſem, proſodicam metri rationem vitiaſſem. Sic etiam pro: *disjungo* v. 47. ſubſtitui *disjugo*, & pro *mentis geminæ* v. 35. exprimendum curavi frontis &c. autoritatem & rationes S. R. atqve Cel. Heumanni in Act. Erud. A. 1717. Tom. 6. Supplement. p. 218. ſecu-

secutus, siquidem Endelechius similem formam boum jugalium, similemqve adspectum delineare voluit, qvi vel ideo qvoqve crepitaculis tinnulo concentu consonis, ornandi & aliis præferendi erant, ut ab aliis tanto distinctius audiri & in pascuis inveniri ab pastoribus qværentibus possent. Diphthongorum præterea rationem Bignæus aliqvando, vel Corrector potius Typographicus curam habuit valde negligenter. Reliqvi ergo illis v. 37. *sæta*, & v. 53. *mereo*, atqve v. 59. *fetura*, nec sine ratione refinxi, seta, mœreo, fœtura. Qvamvis enim pro seta varius scribendi modus afferri possit, Cel. Outhofius qvoqve sætam defendat, aliqvando etiam *sæptus*, a. um. a. sepio, pro septus, exprimatur, ficulnea tam haberentur argumenta omnia. Non pigrabor proinde ex BANGII Libro I. *Observatt. Philol.* p. 553. seqventia de verbis *MŒREO* & *MEREO* transscribere, qvia pleniora sunt iis, qvæ *VOSSIUS* habet *de Analogia* III. 24. p. 90. Ita autem *BANGIUS. Nonnulli hisce*, Hæreo, Torreo &c. *addunt* Mœreo, mœstus sum. *Sed* Mœstus *potius nomen videtur, junctum verbo*, sum: *velut dicimus, mœstus sum. Unde & significationem potius præsentis habet, qvam præteriti, imprimis cum jungitur verbo* sum. *Qvando autem dico* mœstus fui, *præteriti significationem adsciscit mœstus, non a se ipso, sed a Substantivo verbo* Fui. *Sed* Mereo *sine diphthongo & prima brevi, pro* Milito, regulare est. Alterius vocis, *fœtura*, scripturam *ISIDORUS Origg.* Lib. 10. f. m. 1078. ita confirmat. *Fœcunda* a fœtu dicta, qvasi fœtu abunda. Est enim partu freqvens. *Fœta*, prægnans Confer. VIRGIL. Eclog. 7. 36. Inde enim sumtum est. Causam eqvidem reæ hujus vocis, *fœtus*, unde oppido descendit, *fœtura*, agit suscepitqve *JUNIUS* ille *PHILARGYRIUS*, paucissimis (præter b. FABRICIUM in Btheca Lat. Vol. 1. p. 120. nota b.) cognitus Interpres Virgilii, ad

Ejus-

Ejusdem Georg. 3. 177. nixus autoritate VARRONIS Attacini, ipsiusqve Virgilii Æneid. 2. 237. cui CALPURNIUM ex de la CERDA ad Virg. Georg. 3. 177, addit EMMENESSIUS, scribentes antiqvo more, *fetus;* sed obsoletam hanc scribendi rationem qvam etiam PACUVIUS in SCRIVERII Collect. Vett. Trag. aliqvoties servavit, nulla Virgilii editio recepit, nec Criticorum qvispiam secutus illam fuit. Imo in de la Cerda Commentar. Colon. 1628. in fol. edit. ad Virgil. CALPURNIUS suum *fœtis* non per simplicem vocalem e, sed per diphthongum, œ expresit: Vereor etiam, ne Philargyrius & Isidorus in significatione vocis, *fœtus, a. um*, erraverint, qvia cum de animali adhibetur, non significat *pragnans* aut *gravidum*, sed, qvod partu suo fuit levatum vel enixum est. In metaphorico autem sensu, pro latente in utero fœtu accipi, observatum probatumq; late fuit a de la Cerda ad Virgil. Eclog. 1. 50. & Æneid. 1. 55. atqve Æneid. 8. 630.

Perpes Seculum v. 131. pro perpetuo Seculo, neminem facile offendet, qvia docente *FESTO* Perpetem *pro perpetuo dixerunt Poeta*, qvod ex Pacuvio etiam ibid. probatur. Loca PACUVII, qvi ex sorore Ennii genitus erat, vide in *SCRIVERII Collectan. Veter. Tragic.* p. 61 & 63. Haud enim necesse erit, ut cum Vossio in subjunctis *Castigatt.* in Pacuvium p. 97 pro, *perpetem probitatem & operam* legamus *perpetim*, adverbialiter. Nam & PLAUTO qvoqve haud infreqvens fuisse, probat *GUNTHERUS, Latin. Rest.* Part. altera, p. 218, & qvomodo præterea differat a *Prepes*, docet BECMANNUS in Origg. Ling. Lat. p. m. 828.

Solivagus, ad formam *Noctivagus, a. um*, qvo VIRGILIUS utitur Æn. 10. 216. formatum videbatur, qvem CLAUDIANUS de Raptu Proserp. III. 333. Severi qvippe Sancti æqvalis, fuit imitatus. Ipsum tamen CICERONEM aliqvo-

ties voce *Solivagus* usum fuisse *FABER CELLARIANUS* docebit. Confer interim *DAN. PAREI LEXICON Lucretianum*, voce *Noctivagus*.

ET, v. 129. qvia festinantis & blandientis est, retinui. Dicitur enim pro *& etiam*. Vid. *TURSELLINUM SCHWARTZII* p. 259. estqve adeo etiam affirmantis & declarantis, ibid. p. 262. sq. Conf. etiam *GLASSII Gram. Sacr.* p. m. 1094. Haud tamen negavero, qvod si *stat* substituatur pro *Et*, sensum itidem concinnum evadere, qvia *stat* hoc significatu optimis qvibusvis Autoribus valde familiare est. Vid. GUNTHERUS, lib. cit. p. 132.

Vocabulum *pestes* v. 103. ex antiqva tertiæ declinationis terminatione singulari, pro *pestis*, qvod supra jam v. 72. adfuerat, ex variatione a Bignæo retentum videtur, qvia multitudinis numerus v. 103. locum habere plane nullum potest. Antiqvis enim intermedium qvendam sonum inter E. & I. fuisse, qvia aliqvando latius E sonuerit, aliqvando exilius, late probat Vossius de Arte Gram. l. 12. p. m. 55. Satis latinum vero vocabulum esse, etiam cum pro morbo pestifero adhibetur, qvem dicemus sensum proprium atqve physicum, & laudatus *VOSSIUS de Analog.* I. 40. p. 179. atqve in Addendis, & *ANDR. BORRICHIUS* in *Append. ad Cur. Post. Cellarii* cap. 9. p. m. 109. egregie docuerunt. Conferri qvoqve potest CELLARII Discusio Append. Danicæ p. 59. *LIVIUS* alioqvin metaphori cum atqve moralem sensum, vocabulo *pestis*, reservasse videtur, ut denotet malum, perniciem, exitium &c. Lib. 6. 10. 8. & 10. 28. 17. item 8. 9. 10. atqve 42. 10. 8, ad qvem significatum multa etiam loca a Vosio congesta pertinent; *Pestilentiæ* autem nomine semper fere pestiferum morbum & tabem in urbe insidentem, extulit vid. 1. 31. 5. & 10. 47. 6. atqve 7. 38. 7. &c. De homonymia interim hujus

hujus vocis nemo facile uberius docebit tradetqve, qvam Jo. Lud. de la CERDA ad Virgil. pasſim. Confer. etiam BECMANNUS in Origg. Ling. Lat.

Largiſluum v. 3. exhibet qvidem *CICERO* de Orat. III. 39. n. 157. ſed eſt PACUVII apud Scriverium p. 58. & 78. Verſus Pacuvianus iſte eſt.

Grando miſta *imbri largiſluo* ſubita præceps cadit.

LUCRETIUS tamen v. 597. *Largiſluum* qvoqve *fontem* habet. Plura ejusdem generis compoſita ſuppeditabit *FABER CELLARIANUS*, voce Fluo.

Succiduum poplitem v. 66. CLAUDIANUS videtur imitatus de Raptu Proſerp. III. 155. qvem largiori manu illuſtravit BARTHIUS in ſuis ad Eund. Animadvers. p. 929.

Compoſitionem vocis *triſtificus* v. 73. cum multis aliis ex *Facio* conflatis, v. g. fructificare, glorificare, cave, ne ſuſpectam habeas. Paratum enim habet vindicem Cl. OUTHOFIUM ex cujus locupletisſimo apparatu etiam b. CELLARIUS in Cur. Poſt. cap. 7. qvod de *Latinitate Eccleſiaſtica* agit, poterit in qvibusdam & ſuppleri & emendari. Confer tamen etiam Dan. *PAREI Lexicon Lucretianum* voce. *Largificus* & *FABRI Lexicon*, voce *Triſtis*. Vix ergo horum theſauri augebuntur per ENNII *augificare* apud Scriverium p. 11. & *regifice* p. 19.

Idem fere habebis de *Purificatione* v. 119. Verbum enim *purificare* non ſolis Eccleſiaſticis, ſed Plinio qvoqve uſitatum eſſe probavit Andr. BORRICHIUS l. c. cap. 8. p. 97. qvod Cellarii Faber etiam de voc. *purificatio* præſtitit. Conferes etiam *CELLARII Discuſſion* p. 22.

Vers. III. *Vero*, eſt ſexti caſus & contra Socinianos luculentum de Deitate Salvatoris teſtimonium ſuppeditat. Cur ergo illud cum adverbio *vere* ita temere permutarem? licet & hoc ultimam producat.

Disjugo v. 47. est ex conjugata voce *Conjux*, qvæ vulgo qvidem, sed perperam *conjunx* scribitur, sicuti id vel sola reliqvorum casuum formatio probat, nos satis docebit, non a verbo *jungo*, sed a nomine *jugum* esse derivandum. Lecturo enim *disjungo*, metrum obstabit. Apud PACUVIUM est p. 55. in fin. *dejugat* & p. 65. *Abjugat ab stabulis.* Iterum p. 62. *Adjugat blandam hortatricem voluptatem.* Vide præterea BECMANNUM cum in *Manuduct.* ad L. Lat. cap. 18. p. 129. & in *Origg.* voce *Jugum.*

V. 122. *Religionibus* tutius forte an ex prosodicis regulis medeberis per *relligionibus.*

Agmen deniqve Emendationum & Observationum claudat CERDA, qvi cum ad Virg. Georg III. 488. observasset, istud pestis describendi initium Virgilio sumtum esse a Lucretio, qvi ita exorsus esset lib. 6. hæc statim addit: *Ad Lucretium & Virgilium aspiravit Severus Rhetor in Carmine de Mortibus Boum v. 21-24. qvod habetur tom. 8. Biblioth.*

Pergit dein Cerda

noſtriqve Servii versus	45 confert cum 51. 52. Virg. Georg. & 66. Lib. III. v.	515 524
	65 - - -	498 & Eclog. 8.
	89 - - -	556
	92 - - -	502

Offendit autem CERDAM præcipue v. 47. VOX, *Conjugem*, qvam cum vocabulo *Comitem* permutare avet. *Forte legendum*, inqviens, *in Severo* comitem, *non* conjugem. *Nam etiamsi cum morbo carminis, certe cum sanitate sententiæ.* Vide itaqve, qvantum inveterata Pontificorum de Sacramento Conjugii valeat inanis opinio. Morbum enim carmini libentius affricare voluit, qvam sanctitatem vel casti-

castitatem fictam vocis, *Conjugis* admittere. Ergone major erat Virgilianæ sententiæ Sanitas, qvando hanc ipsam conjugem vocavit *fratrem?* Mœrentem namqve *fraterna morte* juvencum cecinit. Nos vero heic præsertim observamus, qvod, cum CERDA semper *Carmen Severi* simpliciter & sine adjecta: *Bucolicum*, voce advocavit, hoc forsan adjectum nomen: *Bucolicum*, a primis Editionibus, non ab ipso Severo, appositum suspicemur.

Qvos præterea supra p. 12. ex CALVISIO produxi Consules, illi sunt iidem, in qvorum consulatum suam Claudianus Panegyrin conscripsit, illustrioresqve reddidit. Germani enim fuerunt Patris PROBI, itidem Consulis, aviamqve venerabantur PROBAM, cujus & liberorum honorificam facit mentionem Hieronymus in Epist. ad Demetriadem. Gentis enim *Aniæ* sive *Aniciæ* claritas & prosapia erat prorsus eximia. Videatur modo CLAUDIANUS & ad Eundem BARTHIUS, haud procul ab initio.

Deniqve etiam de argumento hujus carminis pauciora me allaturum promisi, qvod autem satis profecto exacte b. *KOENIGIUS* supra jam p. 9. nos docuit. Qvod si vero cum REINESIO aliisqve argumentum Ejusdem dixeris *efficaciam signi crucis, qvam occasione mortalitatis boum ignaris & incredulis tradere voluerit*, ludes in re seria, qvia qvod alteri vocatur Conseqvens, alii mox dicetur Antecedens, qvæ licet aliqvando a se differant, neutrum tamen ab altero separari poterit. Numera præterea ipsos versus, *pestilentiam, tota armenta tollentem*, referentes, illosqve cum efficacia signi crucis cujus v. 105. demum fit mentio, confer, judicabis facile, utri potiores sint tribuendæ partes? Illustrationi hujus argumenti, ipsiusqve carmi-

 nis,

nis, ea præcipue inſerviunt, qvæ doctisſimus *FARNABIUS* paucioribus lineis ad Virgil. Georg. III. 478. nota (k) congesſit. Ita vero ille: *Mentione facta luis Venetæ, ſumit occaſionem deſcribendæ peſtis, cujus primas duxit lineas* Iliad. α. v. 45. ſqq. *HOMERUS, a qvo ceu fonte perenni fluxit peſtilentiæ deſcriptio ad reliqvos*, *THUCYDIDEM* Lib. II. circa med. *LUCRETIUM* VI. 1088. *OVIDIUM* Metam Lib. VII. fab. 25. vel ſecundum alios, fab. 26. ſqq. SENECAM Oedip. Act. I. v. 133. LUCANUM Pharſal. VI. 90. *ad qvos vide qvæ nos de cauſis & ſymptomatibus peſtis; SILIUM ITALICUM* XVII. qvi vero ignis peſtem ſive incendium deſcribit. His addit JAC. PONTANUS in ſuis ad Virgilium *Symbolis SOPHOCLEM*, Oedipo Tyrano, ſtatim ſub init. v. 20. *CAPITOLINUM* in M. Antonino Philoſopho, cap. 13. *HERODIANUM* I. 12. *AMMIANUM MARCELLINUM* Lib. 19. f. m. 149. ſqq. ex edit. *LINDENBROGII*, Hamb. 1609. in 4to. Addere nobis liceat *LIVIUM* Lib. 2. 6 & c. 32. IV. 21. & 30. III. 6 & 32. V. 13. VII. 1. XXV. 26. XXVII. 25. XL. 9. & 37. AUGUSTINUM de C. D. III. 17. Obſervat inſuper PONTANUS, Virgilii deſcriptionem peſtilentiæ cum Lucretiana & Ovidiana particulatim fuiſſe collatam a SCALIGERO Poetic. V. II. Lucretium ſua vero ex Thucydide hauſiſſe, qvam utramqve contuliſſet URSINUS in ſuis Collationibus. Qvis ergo dubitaret, ex his varia deſumi poſſe, qvæ nonſolum nos carminis Severiani elegantiam docere, ſed illud qvoqve majore luce perfundere poſſent? CERDA ſane is fuit, qvi non infeliciter hoc præſtitit. *Non dubito*, inqviens, fol. 463. col. 1. *qvin lector recreatus fuerit hac* (a ſe inſtituta) *Poetarum conſenſione. Et qvid eſt Interpretis, ſi hoc non eſt?* Brevitati ergo ſtudebimus & ne in amphoram exeat, qvem Urceum eſſe voluimus, pauca qvædam de Signo crucis *ADDENDO MEDIIS FRONTIBUS* Symbolæ loco ad v. 109. conferemus.

Hoc

Hoc enim a primis Christianis magno semper in pretio habitum fuisse Tertullianus aperte confirmat cujus proinde locum afferre placet integrum ex Libro de Corona Milit. f. m. 449. Ita autem se habet. *Ad omnem progressum, atque promotum, ad omnem aditum, & exitum, ad vestitum, & calceatum, ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacunque nos conversatio exercet*, frontem Crucis signaculo terimus. *Harum & aliarum ejusmodi disciplinarum, si legem expostules scripturarum, nullam invenies, traditio tibi prætendetur autrix, consvetudo confirmatrix, & fides observatrix.* Vides eqvidem, qvantum crucis formationi detulerint prisci Christiani, sed ingenuos habemus confitentes, se ex pia qvadam *consvetudine* & grata in Christum, crucis ligno olim affixum, recordatione, id feciſſe potius, qvam ut per *Scripturarum legem* ad id fuissent obstricti. *Autrix* vero qvæ *prætenditur traditio*, non de dogmatica; sed rituali, qvales non prorsus, sicuti dogmaticas, rejicimus, intelligitur, & qvidem non de traditione Apostolica, nec Apostolico ævo proxima, sed qvæ ante & circa Tertulliani tempora, labente Seculo II. inoleverat usuqve fuerat recepta. In his enim cærimoniis, si aliqvam disciplinam arcani latere asseveraveris, non repugnabimus. Vid. *TENTZELIUS Exercitatt. Select. Part. altera* p. 150. Tantum vero profecto abest ut prisci Christiani ipsam coluerint crucem ut *TERTULLIANUS* ipse etiam κατ' ἀλήθειαν de eadem differens, fateatur in *Apologet. adv. Gentes*, f. m. 841. calumniam Gentilium esse, *falsisqve opinionibus repercutiendis* à se, annumerandam, qvod se *crucis religiosos* habuerint. Demittit se enim ad Gentiles & in eadem cum ipsis, communiqve etiam arena, κατ' ἄνθρωπον pugnaturus, largitur: Si vel maxime crucis religiosi essent, a Gentilibus tamen id, non nisi injuste, Christianis exprobrari posse, siqvidem ipsi

ipsi Gentiles, in hac qvidem causa Christianorum *consectanei essent* cum lignea idola adorarent. En ipsa Presbyteri Afri verba: ex edit. Basil. A. 1550. *Sed & qvi crucis nos religiosos putat, consectaneus* (CALVORIUS l. c. legit, *consecraneus*) *noster erit cum lignum aliqvod propitiatur.* Vid. interim de variis Tertulliani Editionibus præter CAVÆUM, etiam præ cæteris ITTIGIUM in dissert. de *Hæresiarchis sec. I. & II.* Sect. II. cap. 13. §. 24. sqq. Qvod vero non temere dixerit Tertullianus, ipsos Gentiles etiam *religiosos crucis* esse, alio loco inde probat, qvod signatæ crucis efficaciam non solum sæpissime fuissent experti, sed & ex eadem in suis calamitatibus, maximum salutis fructum cepissent, crucisqve formationem libenter admittere soliti sint. Ita enim in *Scorpiaco suo adv. Gentes* f. m. 712. TERTULLIANUS scripsit. *Nobis fides præsidium, si non & ipsa percutitur diffidentia* signandi *statim & adjurandi & ungendi bestiæ calcem. Hoc denique modo etiam ethnicis sæpe subvenimus, donati a Deo ea potestate, qvam Apostolus dedicavit, cum morsum viperæ sprevit.* Qvin *signandi* verbo crucis formationem, ex more Ecclesiasticorum Scriptorum indicaverit, qvibus qvippe hoc perqvam familiare est, ambigi neqvit. *Fides* vero *ipsa*, qvæ non collabefactatur vel *percutitur diffidentia*, sed qvæ singulari ardet fiducia, cum se accingit ad *signandi statim, & adjurandi & ungendi bestiæ calcem*, qvidni *subveniret ethnicis*, qvia se miraculosa hac fide & *potestate donatos, a Deo*, grate agnoscit & aperte testatur Tertullianus? Nullum mihi qvoqve est dubium, qvin multi Ethnici, qvibus ista signatio salutaris fuit, cum præsertim viderent, qvomodo sibi suisqve calamitatibus Christiani, tanta *signandi potestate a Deo donati, subvenirent* adeo faciles, cum buculo nostro, veris famulati fuerint religionibus. Retuli qvidem eundem supra p. 8. ad confinia sec. IV & Vti, sed nec

ista

ista ætate beneficium sanationis, crucis virtutem, cæteraqve dona atqve charismata miraculosa, deseruisse penitus omnem Ecclesiam, locupletisimus testis est *TOBIAS PFANNERUS* in *Diatr. de Donis Miraculosis antiqvæ Ecclesiæ* A. 1680. edita. Tityrus ergo nostras *sola fide* toties adjutus, qvemqve *Deus Salvator & simplex animi purificatio* evexerat ut *optatis frueretur bonis*, qvidni talia, qvalia v. 109-120. vere & sine gloriæ ostentatione prædicat, itentidem expertus fuisset probata? Nam sciens omittam qvod & pueris, fœminis, qvinimo irregenitis, ipsisqve etiam hæreticis, hoc miraculosorum donorum charisma aliqvando inhæserit, qvia de hoc argumento pluribus egit laud. PFANNERUS l. c. cap. 7. §. 8. sqq. p. 349. Illud vero non prorsus missum faciam, qvod & Gentilium Philosophorum qvidam, in crucis formatione Christianorum fuerint *consectanei*. Qvamvis enim rudis multitudo & pleriqve Philosophorum, crucem ita detestabilem habuerint, ut in *MINUCII Octavio*, cap. 9. Cæcilius Natalis, crucis *ligna* etiam vocare sustinuerit *feralia*, & *congruentia perditis sceleratisqve* (ipsos Christianos hoc convitiorum scommate proscindi, vere autumo, non autem supplicii reos, aut facinorosos qvoscunqve) *altaria, ut id colant qvod merentur*; negari tamen neqvit, crucis usum atqve figuram Gentibus fuisse perqvam familiarem, ceu probavit *CALVOR in Ritual. Evangel.* Part. alt. p. 599. & S. R. atqve Cel. D. V. E. LOESCHERUS in disp. 3tia de *Usu Numor. Veter. in Theologia*, cap. 2. §. 1. in *Stromat.* p. 205. Gemina his habet TENTZELIUS in Exercitatt. Select. Part. alt. p. 150. ex Augustino, Petavio, aliisqve probans, Gentiles Philosophos, cum crucis vidissent virtutem atqve efficaciam, sæpe mente dubios atqve *attonitos fuisse redditos*. *Imo vero plurimi* ex AUGUSTINI Opp. Tom. X. p. 623. hæc verba produxit, *etiam ex ipsis*

 sapien-

sapientibus seculi, qvibus videbatur ignominiosa crux Christi, ea in fronte signantur, & de qva *erubescendum putabant, nobisqve insultabant, eam in pudoris arce constituant.* Qvaliscunqve deniqve honos atqve recordatio crucis formationi fuerit data, transiens modo illa fuit, neqve adhuc peperat rem permanentem, crucem scil. in templis asservandam, in recordationem præstiti olim sacrificii, solutiqve pro nobis lytri. Ex eo autem tempore, qvo *crucis tropæum in cœlo ex luce constatum, Soliqve superimpositum.* (Ex ipsius Imperatoris ore, hæc singula sacramenti religione firmantis, refert Eusebius, de Vita Const. l. 28.) Constantino apparuit, crucis veneratio sensim crescere cœpit. Qvia enim lætum Eidem fuerat augurium victoriæ de Maxentio reportandæ, tantis in delitiis Eidem postea fuit crucis formatio, ut frontem qvoqve cum eadem signare non dubitaverit. Imo vero *ob hoc ipsum factum sese magno pere efferebat*, ut teste Eusebio de Vita Constant. III. 2. *cum ea omnibus noscendum exhibuerit.* Neqve soli Imperatori hæc sufficiebat veneratio, sed ad alios qvoqve eandem propagare studebat, qvod Eusebio ita placuit, ut statim qvoqve l. c. hæc addiderit. *Qvin etiam in sublimi qvadam tabula ante vestibulum palatii posita, cunctis spectandum proposuit salutare qvidem signum capiti suo superpositum*, qvalem qvidem ornatum in seculis seqventibus Byzantini Imperatores, Heraclius autem præcipue, retinuerunt, nummisqve intulerunt. Vid. Lipsius de Cruce III. 16. Tomo II. Opp. fol. 792. edit. per Aubert. Miræum Lugd. 1613. Fechtius de Forma Faciei Christi §. 122-129. in Noctibus Christianis p. 643-657. & Spanhemius de usu & Præstant. Numism. disp. 9. p. 837. His rebus factum est, ut Constantino crucis signum adeo gratum fuerit, ut nonsolum militaribus signis & maxime labaro suo illud intulerit, sed arma

arma qvoqve militum eodem ornari jusserit, qvod deinceps PRUDENTIUS miratus ita cecinit Lib. I. c. Symmachum, v. 487.

Christus purpureum gemmanti textus in auro
Signabat labarum: clypeorum insignia crucis
Scripserat: ardebat summis Crux addita cristis. Conf.

LIPSIUS l. c. Ex *auro* præterea *pretiosisqve lapidibus crucem elaboratam in totius palatii eminentissimo cubiculo in maxima tabula infixit*, autore eodem EUSEBIO l. c. cap. 49. & SOZOMENO, l. 8. Hæc proinde crucis reverentia facile Constantino imperare potuit, ut *crucis supplicium, qvod apud Romanos antea erat usitatum, lege lata, sustulerit*, teste eodem Hermia SOZOMENO Hist. Eccles. l. 8. circa fin. f. m. 412. Pro hac cruce autem Tribonianum deinceps furcam substituisse, pluribus persecuti dicuntur RÆVARDUS & SCHULTINGIUS apud HEINECCIUM in Antiqvit. Rom. Syntagm. ad Inst. Lib. 4. Tit. 18. §. 61. p. m. 366. Nova vero & longe majora crucis externæ veneratio cepit incrementa, postqvam HELENA Constantini mater, veram crucem Salvatoris in monte Golgatha a se inventam fuisse, temere credebat. Licet autem hanc crucis inventionem late enarraverint SOCRATES H. E. l. 17. SULPICIUS II. 34. THEODORITUS H. E. I. 18. & PLATINA in Vita S. SYLVESTRI. I. contradictionibus & dubiis tamen premitur adeo insolubilibus ut extricari nodi prorsus neqveant. Intendit qvidem superiori seculo omnes ingenii & doctrinæ suæ nervos Celeb. ille GRETSERUS, ut omnes fere Patrum aliorumqve homilias, Epistolas & Relationes de Inventa hac Cruce in *secundum Tomum* suorum *de Cruce* librorum, congesserit, qvo suus Crucis etiam ligno vindicaretur cultus, pondusqve aliqvod fidei adjiceretur Inventioni, & qvæ eam post insecuta fuit, per Imperatorem Heraclium, Exal-

tationi Crucis Dominicæ, qvam vel soli recentiores Scriptores, & qvi præterea mirum a se in modum dissentiunt, suspectam facere poterant; sed ita fuse atqve exacte, pro more suo, singulas Gretseri vindicias ad pulvisculum usqve excussit b. Fechtius in Exercitat. de Resurrect. Carnis §. 206-220. in *Schediasm. Sacris* p. 347-394, ut facile intelligamus, omnem a Gretsero operam oleumqve fuisse perditam. Cui interea placuerit, brevem Librorum, a Gretsero pro stavrolatria statuminanda collectorum, conspectum atqve indicem cognoscere, is adeat utilissimum Ittigii, toties a nobis laudatum Tract. de *Bthecis & Cat. Patr.* cap. 7. §. 3. p. 609. sq. Nobis autem, qvos brevitatem sectari oportet, ea qvæ superiori ætate contra visam a Constantino in nubibus crucem & Ejusdem Labarum, ab Eruditis mota fuere dubia, discutere non licet, qvod præstiterunt insuper summi, & nostra qvalicunqve etiam laude majores, Viri, indicati a Joh. Vogtio in Hist. Liter. Constantini M. Hamb. 1720. edita, §. 4. cui addes ipsum Compend. H. E. Gothanum Lib. 2. c. 3 sect. 3. §. 3. & Pfannerum in Diatr. de Donis Mirac. cap. 6. p. 326. Scripserant enim ante motas controversias, nodumqve in scirpo qværere noluerunt, qvia nullum invenire poterant. Qvis ergo mirabitur, cum ad tantum crucis signum evectum erat cultum, ipsiqve Gentilium Philosophi ejusdem signationem adsumserint, uti modo ex Augustino audivimus, qvod & Severus Nostras, vel Ejusdem potius Tityrus, qvi caprarii, non vero Patris Ecclesiæ personam sustinet, tantum crucis signo tribuerit, ut crediderit nonsolum, sed expertus etiam fuerit, illud pecora a lue defendere? Testatur enim, qvod certa salus fuerit cunctarum pecudum v. 110. Fingamus etiam, qvod miraculorum dono non imbutus fuisset, Armentarios modo habemus, omnem fere

fere vitam ruri consumentes, qvorumqve ruditati ignoscendum erit, si nimium crucis signo tribuerint, qvia fatentur v. 106. qvod Magnis in urbibus colatur, Christus *solus*. Ita namqve exprimere maluimus cum Bignæo, cum Outhovius habeat: *Magnus*. Oppidani enim hic opponuntur agricolis, sive pago deditis, qvia, qvemadmodum supra p. 6. ex *MIRÆO* didicimus, *reliqviæ Gentilitatis adhuc supererant*, præcipue in pagis, ubi idolorum cultus fuit diutius servatus atqve tenacius retentus. Nullus qvoqve dubito, qvin huic v. 106. & 126. ex HOSPINIANI Libris 5. de Templis, toties recusis, clarior affundi posset lux. Vide interim de iisdem, Hist. Bthecæ FABRICIANÆ, Part. 3. p. 87. & MEMOIRES Tom. 38. p. 334. Ex hac enim Templorum in pagis raritate factum fuit, ut Paganus atqve Gentiles una cum Ethnico, synonyma fuerint habita Idololatræ, atqve Idolorum cultoris, cum aliam significationem olim habuerint. Vide HADRIANUM Cardin. de Serm. Latino p. m. 349. CELLAR. Cur. Poster. & Antibarb. voce *Gentilis* & *Paganus*. Prudentius sane primus Christianorum Poeta, Severo nostro æqvalis, solis hominibus, qvibus qvippe crux illa salutaris vitam peperit omnemqve felicitatem, hanc crucis signationem reservavit, ita in Cathemerinon Libro, Hymno sexto v. 129. sqq. canens

Fac cum vocante somno
Castum petis cubile
FRONTEM locumqve cordis
Crucis figura signet &c. &c. Et peri Stephanon
Hymno. 10. in Romano, v. 586. ita
Hæc illa crux est omnium nostrum salus
Romanus inqvit: hominis hæc redemtio est.

Qvando itaqve b. *LUTHERUS* in Catech. Min. p. 382. hanc *Benedictionis formam* nobis commendavit, ut *mane cum surgi-*

ſurgimus e lecto, & veſperi cum conferimus nos cubitum, nos ſignemus ſigno ſanctæ crucis, nihil fecit, qvod vel a Pietate vel a vetuſtisſimo Patrum Latinorum vel cæterorum Patrum choro alienum eſſet. *Harum* vero *& aliarum ejusmodi diſciplinarum, ſi legem expoſtules Scripturarum, nullam invenies, &c.* qvemadmodum nos ſupra p. 31. Tertullianus docuit plenius. Futilis etiam & inconſiderata eſſet objectio, Tertullianum, hunc ſuum de Corona Militis librum, ſcripſiſſe aut jam Montanizantem, qvod ZENTGRAVIO, disp. 4. §. 11. p. 19. *de Lapſu Tertulliani* (i. e. Speneri) *ad Montaniſtas* (i. e. Pietiſtas) placuit; aut jam Montaniſtam, qvæ CAVÆI f. 58, & ITTIGII l. c. p. 217-222. eſt ſententia. In hac enim crucis ſignatione nihil fermenti Montaniſtici latet, LUTHERUS autem præcipue Metonymiam Adjuncti pro Subjecto reſpexit, omnemqve ita formamus teneram juventutem, ut qvamcunqve gratiam divinam, qvam mane & vesperi recte ſollicitamus, tantis preſſi neceſſitatibus, non impetrare audeant, a crucis formatæ ſigno, ſed ab Illo, qvi peccata noſtra ipſe ſuſtulit una cum corpore ſuo ſuſpenſo & exaltato (Joh. 3. 14 & cap. 12. 32.) in ligno crucis 1 Petr. 2. 24. qvam Metonymiam aliis Synecdochen partis pro Toto appellatam eſſe video. Conf. GLASSII Rhetor Sacr. p. m. 1931. coll. p. 1457. Per hanc autem Metonymicam vel Synecdochicam loqvendi rationem qvin multa Patrum loca inſignem cruci virtutem adſcribentia, mitiorem admittant explicationem, facile intelligemus. Hinc etiam Cent. Magdeb. Cent. 5. cap. 6. f. 721. in fin. nihil inveniunt in CHRYSOSTOMO qvod improbent, cum pluribus docuiſſet locis, ſuo tempore maxime uſitatum fuiſſe crucis ſigno ſignare. Sed vero qvod *ARMENII crucem ex qvacunqve materia factam venerati fuerint* & adoraverint - *& ſacrificii ſangvine ipſam inunxerint, cum tamen*

tamen NB. in fronte crucem manu designent & in baptismo, & in sacrificio, *& aliis multis rebus*, id vero aperte ad hæreses rejecerunt, cap. 5. f. 620. Qvomodocunqve vero Severi signatio se habeat aut excusetur, sanior tamen meliorqve habebitur ipso Paulino, suo qvamvis familiari, qvi adeo ab mentis superstitione non fuit intactus, ut *librum* qvoqve *epistolarum Apostolicarum admotum, morbis mederi* docuerit, qvod proinde Centuriatores cap. 10. f. 1289. intrepide superstitionem magicam appellarunt & ad nævos Paulini recte retulerunt.

Sed satis de Cruce, & qvia terminum ceu Deum aliqvem respicere debemus, pauciora, qvantum paginæ permittit reliqvum, de pestiferi hujus morbi historia exponemus, qvam Outhovius in *Judiciis Jehovæ Zebaoth* p. 741. ita retulit. Orta primum dicitur hæc dira brutorum lues per allatum bovem ex Dalmatia in agrum Vicentinum Italiæ, a qvo hoc morbo laborante bove, morbus hic vulgatus esset. Qvicqvid sit, hæc divinitus immissa animalium plaga A. 1710. primum invasit Italiam, in qva totis 5. annis vehementer grassata est. Inde serpsit per Austriam, Bohemiam ac Hungariam, imo etiam per Borusiam, Muscoviam, Sveciam ac Daniam: & debacchata est in variis Germaniæ tractibus, uti & præsertim A. 1714. per plurimos Helvetiæ pagos, agrosqve Mediolanenses. Imo relatum est, hoc malum etiam invasisse Galliam & Angliam. At A. 1713. media fere æstate in Hollandia & in fine A. 1714. provinciam Groninganam, & Frisiam Orientalem, ubi statim inseqventi A. 1715. sæviit. Hæc autem eum præcipue in finem ex Outhovio transcripsi, tum, ut periti Artis Salutaris Consulti, Outhoviano exemplo de Patria nostra atqve grata posteritate bene mereantur & convocato Præfectorum & Illorum qvi agris colendis præ-

sunt,

sunt, consilio & historiam hujus calamitatis Domesticæ literis mandent, tum ut Severi *Transilire*, qvo v. 98. usus est, rectius intelligamus. Ita exacte enim nostram refert luem pecuariam, ut nihil magis. Non enim conterminos semper pagos, nec contiguas casas, vicinaqve stabula pestifer exhausit morbus, sed transiliit ad remotiores, præteritis propioribus, ita tamen, ut qvibus pepercisse videbatur, ad majorem internecionem reservaverit, dum præter omnium opinionem, resiliit, cædemqve ab residuis repetiit iumentis. Modo grassata fuit multo truculentius in stabulis, ubi aggerata luget boum suorum cadavera pertristis agricola, hodieqve Danos habuit suorum malorum socios. Hos autem Clementissimus & glor. rec. Daniarum Rex, CHRISTIANUS VI. regio certe animo ita solatus fuit, ut exhaustis suis per tantam pandolethriam subditis suis, dimidiam annui census partem, regio prorsus modo remiserit. Publicæ proinde relationes anni præt. mens Aug. his verbis hæc regiæ clementiæ documenta concelebrarunt. Diejenigen Dänischen Unterthanen, welchen die Vieh-Seuche Schaden gethan, haben sich der Gnade ihres gütigen Monarchens höchstens zu erfreuen, indem Er Ihnen von der gewöhnlichen Contribution 2 Viertheile erlassen. Qvin Augustissimus Svecorum Rex FRIDERICUS idem luctus calamitatisqve solatium indulgeat Scaniæ afflictis incolis, dubitare nefas esset, siqvidem Relatt. publ. A. 1746. m. Septembr. nos tristem hunc docebant nuntium. Die Theurung und Vieh-Seuche in Schonen, drucket inzwischen das liebe Schweden gewaltig. Die letztere Gegend ist sonst das rechte Schwedische Fleisch-Magazin, und jetzo sind alda in kurtzen über 30000 Stück Horn-Vieh gefallen. Nec Anglia expers fuit hujus contagionis, siqvidem Londino referebant m. Augusto exeunte. Weil seit einiger Zeit das Rindvieh mit einem garstigen trocken Husten und Zittern behaftet, und ihr Wasser sehr bleich ist, ob sich gleich die Farbe ihrer Augen nicht so sehr verändert, u. ihr Athem nicht so stinckend, noch die Zunge so schwartz ist, als im vorigen Jahre, so fallen sie doch starck in die Zehrung, u. einige werden sehr hartleibig, wodurch dann eine grosse Menge schon umgefallen ꝛc. Tusim vero comitem esse pestilentiæ, nostro malo & didicimus & pluribus etiam confirmat DE LA CERDA ad Virgil. Georg. 3. 497. fol. m. 465. Sed manum de Tabula, ex qva Accipe, qvod

Incipit

Incipit carmen
SEVERI SANCTI id est ENDELEICHI
Rhetoris, de *MORTIBUS BOUM.*

Ægon, Buculus, Tityrus.

I.

Æg. Qvidnam solivagus, Bucule, tristia
Demissis graviter luminibus, gemis.
Cur manant lacrimis largifluis genæ?
Fac ut norit amans tui.

II.

Buc. Ægon, quæso, sinas alta silentia
Ægris me penitus condere sensibus.
Nam vulnus refert, qvi mala publicat:
Claudit qvi tacitum premit.

III.

Æg. Contra est, qvam loqveris: recta nec autumas.
Nam divisa, minus sarcina fit gravis:
Et qvicqvid tegitur, sævius incoqvit.
Prodest sermo doloribus.

IV.

Buc. Scis Ægon, gregibus quam fuerim potens
Ut totis pecudes fluminibus vagæ
Complerent etiam concava vallium,
Campos & juga montium.

V.

Nunc lapsæ penitus spes opis est meæ:
Et longus peperit quæ labor omnibus
Vitæ temporibus, perdita biduo.
Cursus tam citus est malis!

VI.

Æg. Hæc jam dira lues serpere dicitur.
Pridem Pannonios, Illyricos quoque,
Et Belgas graviter stravit, & impio
Cursu nos quoque nunc petit.

VII.

Sed tu qui solitus nosse salubribus
Succis, perniciem pellere noxiam:
Cur non, anticipans quæ metuenda sunt,
Admosti medicas manus?

VIII.

Buc. Tanti nulla metus pervia signa sunt,
Sed quod corripit, id morbus & opprimit;
Nec languere sinit, nec patitur moras.
Sic mors ante luem venit.

IX.

IX.

Plauſtris ſubdideram fortia corpora
Lectorum, ſtudio quo potui, boum
Queis frontis geminæ conſona tinnulo
Concentu crepitacula.

X.

Ætas conſimilis, ſetaque concolor
Manſvetudo eadem, robur idem fuit,
Et fatum, medio nam ruit aggere
Par victum parili nece.

XI.

Mollito penitus farra dabam ſolo.
Largis putris erat gleba liquoribus:
Sulcos perfacilis ſtiva tetenderat,
Nuſquam vomer inhæſerat.

XII.

Lævus bos ſubito labitur impetu;
Æſtas quem domitum viderat altera.
Triſtem continuo disjugo conjugem
Nil jam plus metuens mali.

XIII.

Dicto ſed citius conſequitur necem
Semper qui fuerat ſanus & integer,
Tunc longis quatiens ilia pulſibus,
Victum depoſuit caput.

XIV.

Æg. Angor, discrucior, mœreo, lugeo. 53
Damnis qvippe tuis, non secus ac meis
Pectus conficitur. Sed tamen arbitror,
Salvos esse greges tibi.

XV.

Buc. Illuc tendo miser, qvo gravor acrius. 57
Nam solamen erat vel minimum mali
Si fœtura daret posterior mihi,
Qvod præsens rapuit lues.

XVI.

Sed qvis vera putet? progeniem qvoqve 61
Extinctam pariter? Vidi ego cernuam
Junicem gravidam, vidi animas duas
Uno in corpore perditas.

XVII.

Hic fontis renuens, graminis immemor, 65
Errat succiduo bucula poplite,
Nec longum refugit: sed graviter ruit
Leti compede claudicans.

XVIII.

At parte ex alia, qvi vitulus modo 69
Lascivas saliens texuerat vias,
Ut matrem subiit: mox ibi morbido
Pestem traxit ab ubere.

XIX.

XIX.

Mater triſtifico vulnere ſaucia,
Ut vidit vituli condita lumina:
Mugitus iterans, ac miſere gemens,
Lapſa eſt: & voluit mori.

XX.

Tunc tanqvam metuens, ne ſitis aridas
Fauces opprimeret, ſic qvoqve dum jacet,
Admovit moriens ubera mortuo.
Poſt mortem pietas viget!

XXI.

Hinc taurus ſolidi vir gregis & pater,
Cervicis validæ, frontis & arduæ,
Lætus dum ſibimet plus nimio placet
Prato concidit herbido.

XXII.

Qvam multis foliis ſilva cadentibus
Nudatur gelidis tacta aqvilonibus:
Qvam denſis fluitant velleribus nives
Tam crebræ pecudum neces.

XXIII.

Nunc totum tegitur funeribus ſolum.
Inflantur tumidis corpora ventribus,
Albent lividulis lumina nubibus.
Tenſo crura rigent pede.

XXIV.

Jam circumvolitant agmina triſtium
Dirarumque avium, jamque canum greges
Inſiſtunt laceris viſceribus frui.
Heu! cur non etiam meis!

XXV.

Æg. Quidnam quæſo, quid eſt, quod vario modo
Fatum triſte necis tranſilit alteros,
Affligitque alios? En tibi! Tityrus
Salvo lætus agit grege.

XXVI.

Buc. Ipſum contueor, dic, age, Tityre,
Quis te ſubripuit cladibus his Deus,
Ut peſtes pecudum, quæ populata ſit
Vicinos, tibi nulla ſit?

XXVII.

Tit. Signum, quod perhibent eſſe Crucis Dei:
Magnis qui colitur ſolus in urbibus
Chriſtus, perpetui gloria numinis,
Cujus Filius unicus.

XXVIII.

Hoc ſignum mediis frontibus additum,
Cunctarum pecudum certa ſalus fuit.
Sic vero Deus hoc nomine præpotens
Salvator vocitatus eſt.

XXIX.

XXIX.

Fugit continuo sæva lues greges.
Morbis nil licuit. Si tamen hunc Deum
Exorare velis: credere sufficit.
Votum sola fides juvat.

XXX.

Non ullis madida est ara cruoribus
Nec morbus pecudum cæde repellitur.
Sed simplex animi purificatio,
Optatis fruitur bonis.

XXXI.

Buc. Hæc si certa probas, Tityre, nil moror,
Quin veris famuler religionibus.
Errorem veterem diffugiam libens,
Nam fallax & inanis est.

XXXII.

Tit. Atqui jam properat mens mea visere
Summi templa Dei, quin age, Bucule,
Non longam pariter congredimur viam
Christi & *numen agnoscimus. *numina noscimus.

XXXIII.

Æg. Et me consiliis jungite prosperis.
Nam cur addubitem, quin homini quoque
Signum prosit idem perpete sæculo,
Quo vis morbida vincitur?

Coronidis loco ex AUREL. PRUDENTII *Cathemerinon* ſubtexere placet lectiones, qvia is & SEVERI coætaneus & conſectaneus fuit, &, ſi qvisqvam alius, eundem mirifice illuſtrat. Sic qvandó in Prudentio præf. v. 7. eſt: Ætas prima *crepantibus* Flens ſub ferulis, & in Evlalia v. 19. *crepundia* reppulerat ludere neſcia puſiola, & in Romano v. 784. grata *crepundia:* Varia ad alterum locum ÆLIUS ANT. NEBRISSENSIS & ISONIS MAGISTRI gloſſa egregia annotarunt. WEITZIUS autem ad locum ultimum inter alia hæc adjecit. Dicuntur crepundia a crepitu, unde etiam crepitacula, de qvibus MARTIALIS lib. 14: Epigram. 54. *Si tibi plorator de collo vernula pendet. Hæc qvatiat tenera garrula ſiſtra manu.* Ad hæc Ægyptiorum ſiſtra, qvæ tinnula erant, ex argento vel ære, crepitacula, Virgilius, Ovidius, aliiqve Poetæ ſubinde reſpiciunt, qvorum loca diligenter collecta videbis ab OUZELIO ad Minucii Octavium cap. 21. p. m. 87. in Notis. Apprime autem huc pertineret ARNOBIUS Libro 7. adv. Gentes p. 280. edit. Hanov. 1603. Locum vero ipſum paginæ anguſtia tranſcribere vetat. Hymno I. 27. eſt Forma mortis *perpetis*, & 9. 42. ſiſtitur rivus cruore qvi fluebat *perpeti*, & II. III. Lucis uſus *perpetis*. Hym. 2. 27. Succiduum Jacobi cum Angelo luctati poplitem effert per: *Lapſantem* claudi poplitem, VIRGILIUM imitatus Æn. 2. 551. qvi ita: Traxit & in multo *lapſantem* ſangvine nati. Hym. 3. 15. Fidem habet, omnia *ſanctificantem* & v. 49. Hamum vocat, acumen *vulnificum* & v. 181. angves *horrificos*, & 4. 76. & 5. 93. *Triſtificum*, adeſt, & 10. 93. corpora *mortificata*. In Qvirino v. 42. verbis rogat *mitificis*, a qvo etiam nec SILIUS Italicus 12. 474. abhorruit, qvi & 10. 178. *Saxificam* Meduſam & 15. 421. *pacificantem* Deos habuerat. TERENTIO, Phorm. 5. 6. 32. eſt, *mirificiſſimus*.

Ibid. v. 46. piſces vocat *fluctivagos* greges & SILIUS, 12. 102. volatum Icarium, *Nubivagum* meatum v. 105. *Qvadrifluo*. v. 149. Serpens paradiſiacus dicitur, *cernua*, & 7. 43. Moſi tribuitur os *cernuum*. Idem angvis audit v. 155. Gramine *concolor*. In Emetrio autem habes v. 113. *decoloros*, atqve in Hamartigen. v. 819. *unicoloras* animas. Conf. addenda Notis Heinſii p. m. 958. Hym. 7. 162. NIC. HEINSIUS nubem exemplorum collegit antiqvæ declinationis tertiæ, modo in IS, modo in ES, exeuntis, qvod ſupra p. 26. ad Severi v. 103. adjicies.

GUSTROVIÆ, Typis JOH. GOTTH. FRITZII, 1747.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812/phys_0050

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812/phys_0052

De *Riddagshauſano* cœnobio autem hæc traduntur. Dies Kloſter hat einen Abbet gehabt und eine feine Schule, darinnen 12 Knaben mit aller Nothdurft unterhalten, und in Logicis ſtudiis durch einen Magiſtrum, welchen der Abt beſoldet, inſtituiret werden. Solcher Kloſter-Schulen ſeyn 6. im Lande ſchweig, in unterſchiedliche Claſſes abgetheilet, durch w Stipendiaten ordentl. geführet werden, biß man ſie en der Univerſitæt nach Helmſtädt mit Nutz verſchic Cum deinde turbulentum *Brunſvicum*, mox vero Gv tum adiiſſet, in ſeceſſu vicino Heſſen ab Avia ſua te receptus & per 9 dies retentus fuit. Amœnitates aut ſemenſes, dictaqve Monaſteria latius enarrabunt Auto Baringium reperiundi.

§. 7.

Heſſemo die 4 Martii diſcedebatur, relictaqve ſtadio, Schanderslebiaqve, *Halam*, intravit, ubi d. præter alia, ſalinas qvoqve vidit, de qvibus ita: D. M Bericht nach, ſollen die Saltz-Koten jährlich 2 Tonnen tragen. Doch wird eine wieder auf die Unkoſten g Von der andern muß man dem Hrn. Biſchof ein gena richten, welcher das Feudum 123 Häuſern verleihet. vero de his Salinis Scriptorum nubem collegit Clar. SIGIUS, pleniorem ſine dubio dabunt notitiam in *Bt xon. Super.* p. 941. In templo Cathedrali Halenſi runt Epitaphium D. Mosmanni, ex unica ſua uxore liberorum Parentis facti, cujus πολυτεκνίας alia plura peditabunt exempla, *STISSERUS ad Sirac.* 16. p. 17 *CARTUS Obſervat. Hiſt. Polit. Decad. II.* p. 286 - *Jac. THOMASII, Oratt.* p. 121. *LANSII Conſult.* p. n omittam *STEPNERUM* in *Inſcript. Lipſienſibus: A*

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn832357812/phys_0053